



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

Modus semper orandi & meditandi sine aliquo impedimento. Cap. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

multū in cognoscēdo, nam aliquos
ex tam sancto studio profectus hau-
seritis, sed statim sentietis quā be-
ne animæ vestræ cœlesti sapientia
imbutæ sint. Quocirca documentū
hoc nolite negligere aut flocci fa-
cere, scientes: quod *si socij passionū eri-
tis & consolationum*, in præsentī vita
primū, & postea in futura.

3. Cor. I.

Postquam iuxta sanctam hanc
praxim: præclaram & cœlestem
hanc doctrinam bene perceperitis,
eamque penè totam memoria con-
dideritis, quando ad orationem ac-
cedetis, poteritis sine libro lectio-
nem vestram ad mentem reuocare,
& mysterium illud siue punctum
quod continet assumere, mente re-
uoluere, ac meditationem super il-
lo vel breuem, vel longam, iuxta
temporis vobis concessi longitudi-
nem vel breuitatem, instituere.

*Modus semper orandi & meditandi
sine aliquo impedimento.*

CAPVT VI.

Docetis

Documentum hîc, fratres, no-
tabile

tabile adijciam: si primùm rogaue-
 ro, ne vnquam flores & fructus hu-
 ius horti carpere & colligere desi-
 natis; sed omni tempore quo-
 ties, aut ab obedientia, aut ab alia
 re corpori vel animæ necessaria im-
 pediti non fueritis, statim hunc san-
 ctæ orationis hortum ingrediami-
 ni, ibique sub umbra arboris S. Cru-
 cis legendo, orando ac meditando
 requiescatis.

Et ne vnquam inde vobis necesse
 fit egredi, insignem & facilem me-
 thodum hîc adnectam, quam si di-
 ligenter seruaueritis, nulla nec obe-
 dientia, nec necessitas, siue corpo-
 ralis, siue spiritualis, ab hoc horto
 abstrahere, & suauis ac iucunda hu-
 ius speciosæ arboris umbra vos
 priuare valebit.

Quare, fratres charissimi, vt ad
 hoc paulatim assuescatis: namq; in
 initijs negotium hoc aliquanto dif-
 ficilius, ne dicam laboriosissimum
 est: velim vos singulo quoque die,
 punctum vnum siue mysteriũ Do-
 minicæ passionis meditandum as-
 sumere,

*modus ora-
 tionem faci-
 cile ac sine
 impedimen-
 to instituen-
 di.*

sumere, atque illud viginti quatuor horis continuis mente retinere, à summo manè vnius diei initium faciendo, vsque ad auroram alterius diei: nec quicquam aliud præterquam mysterium quod assumpseritis cogitare: omnia quæ agitis, dicitis & cogitatis, eo vel ore, vel cogitatione referre: eaque Domino Iesu Christo in ea specie ac forma, quam mysterium illius diei exigit repræsentato, offerre: hac namque ratione, mens vni duntaxat rei intenta collectior atque attentior est: & si aliquando aliò diuertat, mox in se reuertitur, quoadusque temporis & exercitationis diurnitate, ad omnimodam recollectionem assuefiat: quod tantò citius fiet, quantò hoc exercitium feruentius tanquam vnicum ac debitum exercuerit.

Certum itaque exercitio huic tempus præfigi volo: ita vt vel post matutinas vel post primam, secundùm quod vobis melius ac commodius videbitur, illud inchoetis, eandemque

demque postea horam quam semel elegeritis semper seruetis: nec eam leuiter transferre audeatis: nam hoc pacto mens non difficulter ad eandem horam, idemque exercitium affuefit, cui per leuem horæ mutationem facile fastidium generatur.

Ea autem hora, quam vobis præstitueritis, vnusquisque animam suam his verbis alloquatur. O anima mea quid hodie factura es? Quod erit opus tuum? Que occupatio tua? Ac deinde proposita ei lectione illius dici, è sacra Christi Domini passione subiunget.

Hoc tuum erit exercitium: hoc munus & officium tuum, hæ tuæ partes: in huius lectionis meditatione versaberis: in hac omnes vires tuas expendes: huc totam industriam, omnemque scientiam tuam conferes: hic denique teipsam totam quantacunque es impendes.

Caue ne negligentem, lentem, & oscitanter hoc agas, ne pudorem & confusionem pro fructu reportes. Memento omnes homines hodie in opere

*Soliloquium
cum anima.*

opere aliquo distineri: Alij pecorū curā agunt, alij agriculturæ operam dant: alij vestimenta confarcinant, alij calceamenta reficiūt, alij labori lignario vacāt, alij arbores cædunt, alij libros compingunt, alij texunt, alij nent: alij studijs & lectionibus incumbunt, & vt vno verbo dicam, nemo est qui non operi alicui intētus sit: nobiles & ignobiles in exercitio aliquo occupantur: turpe tibi fuerit, si à fordidis opificibus te superari patiaris, qui totam diem laboribus grauissimis cum maxima membrorum, atque totius corporis fatigatione impendunt.

*Propositum
firmum ma-
gnam habet
efficaciam
ad mentis
stabilitatē.*

Hoc propositum stabile, magnā vim & efficaciam habet, mentem recolligendi: quæ quamuis postea nonnunquam ad alia diuagetur, mox tamen vt se distractam aduertit, valentius cogitationes suas restringit, vt ita post paucorum dierum exercitationem, ad insignem stabilitatis gradum perueniat: tandemque id assequatur, vt coelesti auxilio suffulta & corroborata, ita
Deo

PARS SECVNDA. • 235

Deo in omni opere vnita fit, vt nec obedientia, nec vlla necessitas siue corporalis, siue spiritualis, eam à pedibus Christi Crucifixi, auellere ac remouere possit, sed manducãdo bibendo, stando, ambulando, legendo, scribendo, & quicquid aliud operis agendo, cum hæc omnia sine nimia sollicitudine agat, in IESV Christi vulneribus moretur. O dulcedinem, O suauitatẽ sanguinis IESV Christi. O dulcem. O gratam. O exoptabilem arboris sanctissimæ Crucis vmbra. O Beatos & millies beatos qui ad foelicem hunc statum pertingunt, vt continuò sub iucundo huius arboris vmbaculo, requiescant: O IESV subueni atque opiculare nobis, tibi humili prece supplicantibus; & da vt de illorum numero simus, qui te toto corde diligunt.

Fratres vobisipsis nolite deesse, nam IESVS nemini opem negat, imò tota diligentia & industria quærit, quib⁹ beneficiat. Ipse namque est qui ait: *Ego sto ad ostium & Apoc. 3. pulso,*

pulso, si quis aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cenabo cum illo, & ipse mecum.

Micr. 3.

Ipsa est qui clamat. *Conuertimini filij reuertentes.*

Proverb. 23.

Præbe fili cor tuum mihi.

Sed præterea nostram exigit cooperationem, ut strenuè in præclaris ac pijs actionibus desudemus: Quia ad magna premia perueniri nõ potest, nisi per magnos labores, ut D. ait Gregorius.

Praxis eximia ex cunctis rebus fructum referendi.

Modus ex omnibus rebus fructum hauriendi.

Quisquis mentis stabilitatem adipisci desiderat, omnia quæcunque agit ad Deum referre assuescet. Cùm comedit: singulas buccellas in vulnera Christi IESU intingat.

Cùm bibit, imaginetur sibi, se sanguinem Christi bibere.

Cùm pane aut carnibus vescitur: cogitet se cœlestem panem atque innocentissimas Christi carnes, quibus in Sanctissimo Eucharistia Sacramento fideles reficiuntur, māducare.

Cùm manus lauat: consideret quanta

quanta mundities requiratur ad sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti perceptionem.

Cùm scopat apud se ita suspiret: Vtinam possem tanta cum diligentia scopare, atque à sordibus scelerum emundare animam meam, vt Dominus meus ad eam inhabitandam venire dignaretur.

Cùm se induit, dicat: vtinam possem me vestire & adornare speciosissimo sanctæ charitatis, ac preciosissimo gratiæ Domini mei IESU Christi vestimento.

Cùm se exuit, dicat: vtinam possem aliquando me ab omnibus passionibus & imperfectionibus penitus exuere.

Cùm ad lectum somnum capturus vadit, cogitet & dicat: vtinam possem in iucundissima S. Crucis umbra obdormire: & suauiter in sinu Domini mei IESU Christi vulneribus requiescere.

Cùm surgit: imagenetur sibi se vocari ad labores sanctæ orationis, & ad excolendum amoenum & delecta-

238 HORTVS ORAT.
lectabilem hunc hortulum.

Similes ex ceteris operibus as-
pirationes formare consuescet.

*Partitio lectionum singulis hebdoma-
da diebus meditandarum.*

CAPVT VII.

TRanfeamus nunc ad praxin le-
ctionum & meditationum, ac
primò lectiones secundùm hebdo-
madae dies in septenariū numerum
distinguamus, ac unicuiq; diei suam
assignemus.

Dominica die meditatio institue-
tur de mysterio lotionis pedum.

Luna. De oratione Christi in
horto.

Martis. De illusione Christi in al-
ba veste ab Herode.

Mercurij. De flagellatione.

Iouis. De coronatione.

Veneris. De Crucis ad locum Cal-
ariae baiulatione.

Sabbatho. De Crucifixione.

Atq; hoc circulo semel comple-
to, ac euoluto: ad principium re-
deundum erit.

Lectione